# QVÆSTIO MEDICA
## QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE
diſcutienda in Scholis Medicorum die Iouis viij. menſis Februarij
Magiſtro IOANNE DE BOVRGES Doctore Medico moderatore.

*An febribus intermittentibus vomitus?*

EX triplici genere morborum vna intemperies τὴν ὁλομελῆ occupare poteſt. nuda quidem illa ſæpè, interdum tamen & ſyſtrophica. vtraque principis alicuius viſceris prauam διάθεσιν conſequitur. nuſquam elephantiaſis (à qua ferè immunes eunuchi) nuſquam anaſarca ſine inſigni iecoris, ſolius αἱματώσεως inſtrumenti, venarúmque principij κακοπραγίᾳ. Nulla non ab accenſis in corde τοῖς ἐνορμῶσι ephemera febris exoritur. nulla non à ſolidis eiuſdem partibus pariter incaleſcentibus hectica. putrida nulla eſt, quam non vehemens τῶν ἐγκαρδίᾳ ἰχώρων feruor inuexerit.

CAVE dixeris omnium, & putridarum maximè, febrium in corde focum conſiſtere. non materiâ tantùm illæ, ſed & materiæ ſitu ab inuicem ſecernuntur. continuã acceſſit humor alimentarius, excrementitius interpolatã. ille in ſecunda corporis regione putret, hic in prima, vnde vix poteſt δι' ὅλου τοῦ σώματος ἔξω ipſo inuaſionis tempore deferri. Quæ alternis diebus rigorem, febrem, ſudorem bilis excitat, iecoris ſimis ferè coërcetur, indéque τὴν ἄνοδον affectans vomitiones ſæpe mouet aut nauſeas. ſimiliter in liene conditus eſt quartanæ parens humor melancholicus, qui aliàs κάτω per hæmorrhoïdas, καὶ ἄνω per vas breue in ventriculi fundũ eructandus erat. Pituita, quâ nihil in corpore frigidius, nullũ in quo reponeretur peculiare conceptaculum obtinuit, in ſenum tamen & puerorum ventriculo magnâ ſæpe copiâ congeſta febrem accendit, perinde ac tertiana duplex, vel triplex quartana, quotidie (ſine rigore tamen aut etiã horrore) repetentẽ. huius, ſecùs ac illarum, διάλειμμα non omninò ἀπύρετον.

IN curandis febribus, hecticis quidem ac diariis potior eſt alterandi indicatio quàm vacuandi, in putridis contrà. Quò naturâ ſuâ vergit eò ducendus eſt humor, foráſque διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων eliminandus. vt cuique corporis regioni ſua concoctio, ſuáque ſunt excrementa, ſic & ſuæ peculiares expurgandi viæ. vitiliginem, pſoram, lepram, & ſi quis alius extimum tantùm corporis habitum affectus occupat, non φλεβοτομίᾳ (quâ omnes æqualiter humores è maioribus vaſis educuntur) non καθάρσει vnquam aut ἐμέσει, ſed ſolâ, quæ per cutis ſpiracula fit, euacuatione curaueris. aſt vbi ab hypochondriorum impuritate morbus eſt, purgatio & vomitio vtrámque faciunt paginam.

EMETOΣ imprimis ὠφελιμώτατος potenti, quâ perficitur, ventriculi concuſſione non eam tantùm, quę in eius cùm capacitate, tùm tunicis hæret, illuuiem per os expurgat (quare eum hyeme prouocare confert) ſed & è præcordiorũ mẽbranis, è cauis iecoris ac lienis, & ex pancreate omnis generis ſuperuacuos humores, plerúmq; ſynceros elicit, quos nec hiera, nec aliud valentiſſimũ, etiam frequens, pharmacum in aluum vnquam exturbaret. Nil prodeſt quod non lædere poſſit idem. non qui αὐτομάτως, non qui medici artificio cietur vomitus res ægrorum meliori ſemper loco ponit. Meraca, liuida, χολώδεα crebrò, ægrè, & parca manu vomere, malum. Elleborus (abſque præuiâ præparatione non exhibendus) ſæpe lethalem à vomitione conuulſionem infert. obeſi, aſthmatici, tabidi, & quibus preſſum anguſtum pectus, ceruix oblonga & gracilis, ſine periculo nunquam vomunt.

NATVRÆ Medicus imitator quotuplicem agnoſcit ſpontanei vomitus cauſam, totidem variis in eo ciendo vtitur emeticis, quorum blandiſſima tutiſſimáque ſunt ea, quę nullâ excellenti qualitate prædita, ſuâ tantùm copiâ ventriculum grauant & ſubuertunt; item quę inſuauia, leuia, quæque relaxandi facultatem habent, vinum dilutiùs temperatum magis quàm merum aut aqua, & hæc tepida magis quam calida frigidáve vomitum prouocat. Non vt ſtibium, hydrargyrum, vitriolum, ſic veratrum, ſpartium, daphnoïdes (licet inſigniter acria, raptimque ex vniuerſo corpore vitioſos in ventriculum humores ſine delectu attrahant) è medicamentorum internorum cenſu prorſùm expungimus. Calcanei fractura, calculoſa nephritis, alijque ſimiliter affectus μοχλείας δεόμενοι elleboriſmum interdum efflagitant. Innocentiùs aſſumuntur radicula, anethum, naſturtium, aſarum, ſtaphiſagria, & quæcunque modicè acria incidendi ac detergendi vi pollent, qualia ex hydromelite, hydrelæo, alióve conuenienti liquore cachecticis, ictericis, crebrò vomentibus, arthriticis, & qualibet intermittenti febre detentis ipſo ineunte paroxyſmo nunquam non vtiliter exhibentur.

*Ergo febribus intermittentibus vomitus.*

---

Propugnabat Lutetiæ IACOBVS ADAM, Anno R. S. H. M. DC. XXIV.

---

*DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.*



| | | |
|---|---|---|
| M. BARTHOLOMÆVS BARRALIS M. R. | M. MAVRICIVS DE MONTROEIL. | M. GEORGIVS ARBAVLT. |
| M. CAROLVS LE CLERC M. R. | M. GVILLELMVS GYON. | M. CAROLVS BOVVARD. |
| M. IOANNES BOVRGEOIS. | M. CLAVDIVS DE POIS. | M. CLAVDIVS CHARLES M. & P. R. |